



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

An Capellanus vel Legatarius pinguis possit retinere partem stipendij,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)



stipendia enim hæc, ad modum pretij rerum, habent Medium, Infimum, & Summum.

16. Sed petet quis: An his duobus Privilegiis fruatur alij religiosi participantes in Privilegiis.

Concedit Marchin, *dist. n. 7. Negat Lazzari, dist. n. 31.* Ille, ob rationem universalem, quod participantes communicant in Privilegiis concessis, & concedendis. Hic, quia parat hæc non esse Privilegia, sed reductiones particulares, quas Pontifex ad petitionem particularem fecit, quæ certè illis non communicantur. Secus, quando Pontifex concedit v. g. uni Conventui alienationem alicuius boni immobilis, concederet omnibus participantibus. Adde quod jam amplius hi Religiosi non teneantur adire Pontificem ob reductionem Missarum cum ipsi possint facere, & tamen praxis est in contrarium.

17. Sententia concedens est probabilior quoad concessionem allatam n. 16. Ratio est, quia illa Privilegium est, non vero reductio, nam non reducit ipse Pontifex, sed dat facultatem reducendi, & quidem per Diploma apponens Constitutiones Fratrum, id quod satis ostendit esse concessionem universalem. Ad id, quod additur. Respondeo primo, Esto propter reductiones Missarum quotidianarum illi non obligarentur ad Pontificem confugere: obligarentur tamen propter alias reductiones non quotidianas, & quando reductio instat, ut fiat extra Capitulum. Sed Resp. secundo, concessio nem solum loqui de reductione facienda in primo Capitulo, & non amplius, quare si occurrat facienda alia reductio post illud Capitulum, certè ad Sanctam Sedem erit recurrendum.

§. V. Super illud §. 1. num. 10. Ac similiter, &c.

Vbi,

Prohibetur, ne Sacerdos, retenta parte elemosynæ, Missam alteri celebrandam committat.

1. Sacerdos cum receperit à Fidei argenteum intermedium, ut Missam pro illo celebret, dat argenteum meum Petro similiter Sacerdoti, ut sui loco satisfiat; medium vero sibi retinet; potestne id licitè esse? Decidit Sacra Congregatio supra §. 1. n. 10. non posse.

2. Et quia dubitatum fuit: An saltem possent Rectores Ecclesiæ aliquid sibi retinere pro expensis necessariis, vino, cera, Hostia, Paramentis, & similibus. Respondit *ibidem* n. 36. posse Rectores Ecclesiæ pauperis non vero eius, quæ sufficientes habet redditus: advertiturque ne plus iusto excedant hæ expensæ, & nihilominus, his deductis, curandum esse tot celebrari Missas, quot fuere præscriptæ ab offerentibus elemosynam.

3. Rursus fuit dubitatum, An beneficiatus qui potest per alium celebrare, teneatur huic alij dare stipendium ad rationem Beneficii. Respondit *num. 37.* satis esse si det elemosynam congruam secundum morem Regionis, si aliud in fundatione cautum non fuerit.

4. Denique. An ille, cui datur stipendium manuale majus solito, pro Missa, debeat totum dare alteri cui fortè illam celebrandam committit. Respondit *ibidem* n. 38. debere totum dare.

5. Vides discrimen? Id, quod concessum est Beneficiato habenti fortè pingues redditus pro onere Missarum, negatur recipienti elemosynam manualement pro Missa. Et quidem merito, nam huic fideles totam elemosynam dant pro ipsa Missa; ibi Fundatores dant etiam pro ipsa commodiore sustentatione Beneficiati, ut alacritus serviat, &c.

6. Quærit: recipiens elemosynam manualement, si non servet hoc Decretum, peccatne mortaliter? Respondit cum Peyrino *conf. 9. Urbani VIII. §. 4.* alios affirmare, quia tam subtilis distractio Sacre Congregationis, non te tam gravi, ita tam serio intendisse, demonstrat. Ita

Par. II.

Bordonus *ref. 2. 6. num. 28.* alios negare, quia in Decreto hujus rei nulla adsunt verba indicantia culpam mortalem, & ex alio capite nulli tunc fiet injuria, non Sacerdoti celebranti, quia stipendium minus voluntarie, ut supponimus accipiat; non petenti Missam, jam enim illa pro ipso celebratur.

An alij præter Rectores Ecclesiæ, possint retinere expensas pro vino, cera, ministro, paramentis? &c.

7. Sed adhuc dubitabis primò: An sicuti Rectori Ecclesiæ pauperis conceditur, posse retinere prædictas expensas, ita possit Sacerdos legatarius, qui non sit Rector, Sacerdos v. g. cui relictum fuit annuum legatum pro celebrandis tot Missis, potestne exposcere aliquid plus, ut faciat dictas expensas?

8. Idem quæritur in elemosynis manualibus potestne exposcere Sacerdos aliquid plus (sed rationabile) quo satisfaciatur ministro infervienti, vel insumat pro cera, vino, &c.

9. Respondeo utrumque posse juxta dicta *num. 2.* Siq. March. *de ord. tract. 3. p. 1. cap. 18. n. 26.* quia nemo cogitur insumere de suo in gratiam alterius: id tamen non consulerem diviti, quia sapit indignam avaritiam. Confirmatur responsio, quia merito alicubi, taxantur hæ expensæ separatim ab ipsius Missæ stipendio, ut vidimus supra.

An Capellanus, vel legatarius pinguis retinere possit partem stipendij?

10. Dubitabis secundò: An quod concessum est n. 3. Beneficiato, concedatur Capellano, vel legatario pingui? Respondeo affirmativè, modo det justum stipendium alteri. Ita Delugo *de Euch. disput. 21. sect. n. 30.* Aloys. Ricc. *in decis. p. 2. decis. 219. num. 3.* citans Sotum Navarr. Beja Licet enim Sacra Congregatio meminerit solius Beneficiati, cum eadem sit ratio, includuntur cæteri similes, siue sint principales, siue subrogati, quia subrogatum sapit naturam ejus in cuius locum subrogatur: modo non sit elemosyna manualis, ut *ibid.* dictum est.

11. Rogas: Quantum est hoc justum stipendium? Quantum lex Diocesana taxavit, quod apud nos esse fere unum Iulium pro una Missa feriat, & circiter duplicatum pro festiva, supra diximus *cap. 1. §. 1. n. 2. & §. 3. n. 35.* Quod si alicubi taxatum non fuerit, illud erit justum quod fuerit communi consuetudine introductum, in quo casu (sicuti accidit in rerum pretijs non taxatis) erit reperire summum, medium, infimum, & Beneficiatus non obligabitur, in prædicto casu, nisi infimum dare, jam enim hoc justum stipendium est.

An quilibet alius possit alteri committere Missam, retenta parte stipendij?

12. Dubitabis tertio: An in aliquo tandem casu id alicui Sacerdoti liceat in manualibus elemosynis?

Respondeo; quamvis id absolute Congregatio neget, ut vidimus n. 4. adhuc tamen tres exceptiones, seu Declarationes admitti debent.

Prima est. Si alicubi hoc Decretum non sit acceptatum, quæ est communis doctrina in legibus positivis. Id, quod hic innuere volui, quia Marchin *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 32. n. 8. fin.* ait se audivisse, in multis Italiæ locis, & Romæ, in multis Collegiatis, hoc Decretum quoad hanc partem, non servari.

13. Secunda. Si ego Sacerdos recepi liberaliter à Petro pro una Missa unum v. g. aureum, pingue scilicet stipendium, si Petrus dedit præcisè, & simpliciter pro Missa, ita ut liberalitas exercita fuerit in favorem, ut ita dicam, Missæ ipsiusque obsequium: certè non possem dare alteri Sacerdoti celebraturo pro eodem Petro unum Iulium, justum scilicet stipendium

P 2. quod